

www.e-rara.ch

**Pavli Iovii Novocomensis Episcopi Nucerini Elogia Virorum literis
illustrium, quotquot vel nostra vel avorum memoria vixere**

Giovio, Paolo

[Basel], M D LXXVII

Universitätsbibliothek Basel

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-132417>

Augustinus Niphus

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

ter aliquot quæstiones, & in his de Intellectu, de Alica, & de Astragalo, tituli varietate iuventuti gratas & vtilis. Sed in libro de varia Historia, quo ingens & peramœnareconditæ lectionis copia exprimitur, omnes eius ætatis styli iucunditate superauit. Vita eius procul à contentione, ambitioneque, in studioso mollique otio versabatur ita, vt domi, quam in schola clarior, beneuolis vera Peripateticorum, & Academicorum dogmata suauissima comitate pomeridianis horis explicaret. Peruenit veneranda barbæ canitiæ ad septuagesimum tertium ætatis annum mediocri substantia, ipsaque ciuili frugalitate, & cælebs, & felix, quod nemo vel innocentia & doctrina conscientia, vel munditia corporis, vel animi nitore beatior ætate nostra fuerit. Aluerat domi gruem, de manu ipsius senili oblectamento cibaria capientem per quadraginta annos. Is senio tabefactus quum periisset, ex eius desiderio triste omen concepit, prædixitque nullo laceratus morbo, se nō multo post adamati gruis fatum maturo vitæ exitu secuturum. Patauini, externaque gymnasijs cultrix iuuentus funus ornauere. Sepulchrum autem Bembus faciundum curauit, & carmine nobilitauit.

*Natura si quid rerum te fortè latebat,
Hoc legis in magno nunc Leonice Deo.*

Latoni.

*Precare sacra verba, Viator,
Nam Tomæus hic sepultus est:*

Dulci fruitur memoria

Integritatis illibatæ,

Partaque literarum gloria,

Funde puer dulce merum:

Odoros sparge flosculos:

Spiret vt bustum, madeatque tellus:

Illaque sancta & candida animula

Se totam nostra gratitudine inebriet.

Addemus titulum sepulchro & istum,

Barbarus vt ne quis violet:

Hic iacet vir vnus omnium

Doctissimus, pijsissimus.

Augustinus Niphus.



V G V S T I N O Nipho Sueffæ ad Auruntam nato, sed ab vrbe Trophea in Brutijs oriundo, inter Aristotelicæ sectæ professores eximia laus contigit, quum in omnibus ferè Italiae gymnasijs, Achillino, & Ponponatio florentibus opima stipendia meruisset. Erat ingenio fertili, ad aperto, liberali, sermone autem Campanum pingue quoddam resonanti maxime libero, & ad serendas fabulas in suggestu coronaque, ad voluptatem aurium periucundo: sed vel toto ore subagresti, & penitus in faceto ita se ad vrbanos iocos componebat, vt valde mirarè-

tur, qui mox tacentis supercilium austeraque labra, & lineamenta conspiceretur. Scripsit in omnes Aristotelis libros perampla commentaria, sed rudi & incondita quadam vbertate, ut tum mos erat, crassus & plane barbaris auribus accommodata, quod Latine, recteque scribendi facultatem, tanquam inimicam optimis disciplinis, ab ipsa præsertim philosophia segregabant. Luculentius eius operum existimatur id, quod pro Auerroë aduersus Algazellem disputate tum publicauit, quum florente ætate à multo vigore ingenij neruosior haberetur: quanquam ipse in opinione decretoque parum constans, euariatoque sæpe iudicio, commentationes in Analytica priora, & in libros de Anima tenerius adamasse videamus. Parto demum otio, obrepenteque podagra, scripsit aduersus Astrologos, Moralesque libellos: & de Tyranno & rege, & de Augurijs, varietate tituli vel parum curiosis expetendos, & longiore quidem dignos vita, si plenior Latini sermonis spiritus accessisset. Susceptis liberis, & senescente vxore septuagenarius senex, puellæ citra libidinem impotenti amore correptus est usque ad insaniam: ita ut plerique philosophum senem, atque podagricum ad tibie modos saltantem, miserabili cum pudore conspexerint, unde illi maturatæ vitæ exitum constat. Perijt in patria nocturno itinere refrigeratus, quum sero è Sinuessa redijset, obortis scilicet tonsillis, quæ fauces obsederant, ea ipsa nocte Etruriæ admodum funesta, qua Alexander Medices, in lecto turpissimè confossus interijt. Galeacius Florimontius quum præceptori urnam poneret, hoc carmen incidi iussit.

Incerti.

*Dum lapidi titulum mærens Galeacius addit,
Et tristi curat funera cum gemitu:
Si quis honos tumuli: non hoc tibi, Niphe, supremum,
Sed patriæ, & misero stat mihi munus, ait.
Ne viuis meliore tui tu parte: leuamen
Luctus nos medijs quærimus in lachrymis.
Marci Antonij Flamini.
Qui docuit rerum Niphus cognoscere causas,
Non rerum oblitus hoc iacet in tumulo,
Sed cælo meliore sui cum parte receptus,
Nunc gaudet melius discere quàm docuit.*

Latomi.

*Apagete vos, Philosophiam qui tetricam
Putatis: & boni indigam
Leporis, ebriæ horridamque Cypridis.
Quid? Niphus annon melleus,
Perplexæ suetus inter enthymemata,
Et syllogismos frigidos
Narrare suaues, Atticæque fabulas:
Multumque risum spargere?
At quàm venustum hoc: septuagenarium
Quod undulatis passibus,
Et curioso, flexuosoque capite
Saltare coram cerneret,*

Modò Dorium, modò Phrygium, vel Lydium:

Amore saucium graui?

Tractare sic Philosophiam inuisam, arbitror

Summi fuisse philosophi.

Ioannes Ruellius.

RVELLIVS in vrbe Sueſſionum natus, quum ſuſceptis liberis vxorem extuliſſet, abdicata medendi arte, ſacerdotium in templo Deiparæ Virginis, Lutetiæ Pariſiorum Poncherij antiſtiſtis liberalitate promeruit, totumque id otium optimis literis, vt fortunis auctum decebat, impendit: non ignobili quidem gloriæ prouentu, quum eruditionis authoritatē Budæo proximus eſſet, & Latini ſermonis nitida puritate ſuperior haberetur, vt præclare indicat Dioſcorides in Latinum è Græco emendatè traductus. Leguntur libri aliquot probè, fideliterque translati de Mulomedicina, & Actuarij medici volumen de Vrinis: ſed proprio vſus ingenio libros tres de natura ſtirpium perſcripſit, Theophraſtū in multis, & Plinium eleganter æmulatus. Extant quoque ſingulari diligentia translati è Græco quinque libri de Agricultura, ex viginti qui nomine Conſtāntini circunferuntur: reliquos Coroneus Gallus vertiſſe dicitur: ſed Cornarius Germanus expedita ſacundia celeberrimus, vniuerſos viginti Latinitate donatos nuper publicauit. Erat Ruellius natura modeſtus & lenis, vultu multo rubore ſuſuſo, & reſimis naribus, ſtatura verò mediocri. Sexageſimo ætatis anno vita functus eſt, paulò antequā rex Franciſcus niuoſas Alpes trañceret, vt copijs ſuis Cæſarianorum impetu percuſſis fortiter opem ferens, Subalpina oppida, ſummoſtis hoſtibus in fide confirmaret: vt inde in ſpem inauſpicatæ pacis induciæ pararentur.

Dionysij Carronij.

Hic situs est, in quo vixit medicina, Ruellus

In quo naturæ notitia, atque poli:

In quo prima fuit dos, Graium vertere scripta

In Latium, ac Latio scribere digna Ioue.

Olim erat affinis, nunc est conuiua Deorum,

Præmia que illa sui grata laboris habet.

Latomi.

Hic vester ille est, Galle, Ruellius:

Mentis tam acuto lumine præditus,

Perinde vultum nosset vt ætheris,

Seu læta nobis, seu mala plurima

Cordis recessu conderet intimo:

Ac si fuisset sensibus omnibus

Coniunctus astris: & reor hercule.

Nam quæ reliquit scripta sat arguunt.

Nostris bonis tam commodum & utilem,

Aut esse Divum, aut munere proximum.